

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae I.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

PAVLLI MANVTII
COMMENTARIVS

IN
M. TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM
QVAE FAMILIARES VOCANTVR
LIBRVM VI.

EPISTOLAE I.
ARGVMENTVM.

Athenis exsulantem Torquatum, qui contra Caesarem a Pompeio steterat, renuocare studet a sollicitudine ac moerore animi ad tranquillitatem: in quam sententiam colligit haec, quae ad consolandum valeant: primum, ita perturbata esse omnia, ut sua fortuna contentus nemo vniat: deinde conditionem eorum, qui Romae sint, et ea cernant, quae quotidie fiunt, deteriore esse, quam eorum, qui absint: quare non esse ei moleste ferendum, quod urbe careat: quod si suos suaque desideret, ne hoc quidem nomine dolendum; quando illa nullo sint in proprio periculo, nec, ut meliore statu fruantur, ipsum praesentem praestare posse: quod vero ad eius fortunam pertineat, nec desperandum esse, nec timendum aut a Caesare, aut a Pompeianis, si acciderit, ut vincant: sin ob commune reipublicae periculum angatur, solatio esse debere conscientiam optimorum consiliorum: ut virtus, licet rebus omnibus destituta, se tamen ipsa sustentet: nec vero eum, qui alios olim excitauerit, abiectiore esse animo debere: propterea, cur non aliquam ab ipsa Athenarum urbe, rationis ac moderationis parente atque altrice, doloris medicinam petat? cur non Ser. Sulpicii, amicissimi hominis ac sapientissimi, consuetudine recreetur? extremum illud, quasi extra consolationem, subiungitur; quod mihi tamen ad leniendum dolorem vni habere aliquam videtur; de sua in eum eiusque liberos voluntate, et de spe proficiendi aliquid in eius causa; quod assiduitas vni rei dedita, vel si absit auctoritas, nonnihil tamen praestare posse videatur. Suspicio interdum, scriptam esse hanc epistolam non Africani belli tempore, sed Hispaniensis, quia quarta huius libri sine dubio scripta videtur Caesare in Hispaniis rem gerente: significat enim, Sulpi-

cium Athenis discessisse. qui cum in Graecia fuerit, quo tempore M. Marcellus interfectus est, ut ex lib. 4. epist. 12. intelligitur; Marcellus autem, Caesare in Hispaniis contra Pompeii liberos pugnante, obierit; quod indicant epistolae quaedam lib. 13. ad Attic. non videtur Sulpicius ante bellum Hispaniense Athenis discedere potuisse. praeterea, Tullia, Ciceronis filia, bello Hispaniensi perit: Caesarque ex Hispaniis, et Sulpicius e Graecia consolatorias ad Ciceronem litteras miserunt: cum Sulpicius breui discessurus esset: quod indicat lib. 4. epist. 6. in qua est: *scrabam, tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. quo patet, discessum Sulpicii in Hispaniense bellum cadere.* Nec patetur illa quarta, Hispaniensi bello; haec vero prima, Africano scripta. nam in quarta, in qua de Sulpicii discessu mentio fit, appellatur haec prima, in eo loco: ut ad te scripsi antea, tempus est huiusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet: et, ubi quisque sit, ibi esse minime velit. Quod, opinor, Cicero non diceret de litteris ante tot menses conscriptis, quot inter Africanum et Hispaniense bellum inter sunt.

EXPLANATIO.

A Torquato] Manliae gentis, patriciae, antiquissimae. patriciam autem et Cicero hanc gentem fuisse ostendit in orat. pro Sulla c. 8. verum et plebeios fuisse Manlios, idem testatur in Phil. 1. c. 13. Propter unius, inquit, M. Manlii scelus, decreto gentis Manliae, neminem patricium M. Manlium vocari licet. Nisi haec dixit habita ratione sui temporis; cum et patricii et plebei essent Manlii; non quod eo tempore, quo Manlius Capitolinus damnatus est, Manlii duorum generum essent. Liuius quidem lib. 6. c. 20. hoc Manliae gentis decretum memorat, omissa patriciae mentione. Torquati cognomen a Torque natum, quem Gallo singulari pugna victo detraxit T. Manlius. qua de re Liuius lib. 7. c. 10. Gellius lib. 9. c. 13. Cicero lib. 1. de Fin. c. 7. et Tusc. 4. c. 22. et lib. 2. de Offic. c. 31. Hunc Manlium vocat optimum virum lib. 1. ad Attic. epist. 1. Transiit ante Ci-

ceronem in Graeciam ad Pompeium, ut lib. 9. ad eundem epist. 8. Africam videtur administrasse post praeturam: nam consul numquam fuit. leguntur enim haec in oratione pro Plancio c. 11. Adolescentulus cum A. Torquato profectus in Africam, sic ab illo gravissimo, et sanctissimo, atque omni laude et honore dignissimo viro dilectus est, ut et contubernii necessitudo, et adolescentis modestissimi pudor postulabat.

Et si ea perturbatio est — esse malit] Infra eadem sententia, epist. 4. Tempus est huiusmodi, ut suam quisque conditionem miserrimam putet: et, ubi quisque sit, ibi esse minime velit. Hic aduertendum, quater in primis huius epistolae comprehensionibus repetitum, et si, tamen: in quo si quis hodie nostrum offenderet, excusari vix posset.

Quisquis] Quisquis, pro quisque interdum veteres usurparunt, ut

vt hic ipse Tusc. 5. c. 34. *Vt quid quid obiectum est, quod modo a natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius.* Lib. 4. in Ver. c. 13. *Ita odorabantur omnia et peruestigabant, ut, ubi quidquid esset, aliqua ratione inuenirent.* Plautus in Trin. Act. 4. Sc. 2. v. 39.

Sin unum quidquid singillatim et placide percunctabere.

Lucretius autem saepissime.

Oculi augent dolorem] Oratorie modo sensum oculorum auget, aurium imminuit, modo contra. nam lib. 4. epist. 9. aurium sensu plus doloris, quam oculis percipi dixit: quia Marcello redditum suadebat: hic, vt absentem Torquatum consoletur, oculis augeri dolorem ait. et epist. 4. *In malis, inquit, omnibus acerbius est videre, quam audire.* et lib. 4. epist. 13. *Nec audio solum, quod ipsum esset miserum, sed etiam video, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari.*

Intueri coguntur] Quo dolor fit acerbior. audire autem, qui non vult, non cogitur: itaque potest auertere cogitationem a miseris.

Nec auertere a miseris cogitationem sinunt] A consuetudine enim oculorum animum abducere, difficillimum est.

Multarum rerum desiderio] Quas cum republica perdiderimus.

Cum magna molestia tuos tuasque desideras] Liberos in primis: de quibus epist. 4. *Reliquum est, ut te angat, quod absis a tuis tam diu.* Res molesta, praesertim ab iis pueris, quibus nihil potest esse festinius.

Aut praecipuam aliquam fortunam postulare, aut communem re-

cusare] Sic lib. 4. epist. 15. *Non debes aut propriam fortunam et praecipuam postulare, aut communem recusare.*

Agitare animo] Tribus modis hoc verbum ad eandem sententiam accommodatur, *agitare animo, agitare in mente, agitare simpliciter.* primus hoc in loco modus ostenditur, et pro Fonteio c. 6. *Vos et saepius eandem rem animis agitare, et diutius uno de teste cogitare potestis.* Alter lib. 1. de Nat. deor. c. 41. *Habet nihil aliud, quod agitet in mente.* Tertius lib. 3. in Ver. c. 96. *Quodsi ille hoc unum agitare coeperit, esse aliquod genus cogendae pecuniae.*

Vt non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem aut timorem] Vt in tuis cogitationibus locum desperationi aut timori nullum tribuas: id est, vt neque de reditu desperes, neque salutis tuae timeas.

Qui in te adhuc iniustior, quam tua dignitas postulabat, fuit] Caesarem significari manifestum est: de quo paullo mitius epist. 4. *Eius enim, qui tardior in te leuando fuit, quam fore putaramus, non est mihi dubia de tua salute sententia.*

Non magna] Affirmant duae negantes particulae, sed ita, vt aliquid imminuant. plus enim erat magna signa, quam, nec non magna.

Nec tamen is ipse] Cur salutis amittendae timore angamur, cum is ipse, a quo seruari volumus, eodem timore vacare non possit? Augurium Ciceronis breui Caesaris interitus comprobauit.

Omniū bellorum exitus incertus] Vtrius partis victoria sit futura,

Aa 3

incer-

incertum est. epist. 4. *Omnis belli Mars communis, et semper incerti exitus proeliorum.* et Phil. 10 c. 10. *Vt concedam incertos exitus esse belli, Martemque communem.*

Ab altera] Si Caesar vicerit in Hispania.

Seiunctum ab omnium interitu] Aut simul omnes victoris clementia seruabimur; aut eiusdem ira peribimus. epist. 4. *Illud cuius facile est docere, cur praecipue tu dolere nihil debeas.*

Ab altera] Si vicerint Pompeiani.

Numquam timuisse] Licet a bello discesleris. *Numquam*, dicit, ut significet nec antea, bello scilicet Africano, timuisse Torquatum a Pompeianorum victoria.

Quasi consolationis loco] Non plane consolationis loco: quia, cum patria, quae nobis rerum omnium carissima debet esse, periclitetur; minus angere priuatis incommodis debemus. itaque communis periculi recordatio, quasi quaedam consolatio videtur esse. Huius generis illud est in epistola sequenti: *Misera est illa quidem consolatio, tali praesertim cui et viro, sed tamen necessaria, nihil esse praecipue dolendum in eo, quod accadat vniuersis.*

Multa dicant] Quae ad consolandum valent, significat ea, quae insignes philosophi de sedando luctu conscripserunt: quorum sententias postea Cicero, amissa filia, in sua scripta transtulit, aegritudinis leniendae causa. eorum nomina recitat diuus Hieronymus in Epitaphio Nepotiani. *Legimus*, inquit, *Crantorem, cuius volumen ad confouendum dolorem suum se-*

*cutus est Cicero: Platonis, Diogenis, Clitomachi, Carneadis, Posidonii ad sedandos luctus opuscula percurrinus; qui diuersis aetatibus diuersorum luctum vel libris vel epistulis minuere sunt conati: ut etiam, si illorum areret ingenium, de illorum posset fontibus ir-
rigari.*

Vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri] Mei veteres libri, *ulla*, omnes habent: sed, *nulla*, requirit sententia. nam *vereor* cum simplici negatione coniunctum, usurpatur in rebus, quas accidere nolumus, ut *vereor, ne filius peccet*: cum gemina vero negatione, in rebus, quas accidere vellemus: ut, *vereor, ne filius non recte viuat*: volumus enim filium recte viuere: interdum, quod idem valet, pro gemina negatione utimur, ut, hoc modo: *vereor, ut filius recte viuat*. quare videtur aut legendum hic, *vereor, ut consolatio ulla possit vera reperiri*: aut, *vereor, ne consolatio nulla possit vera reperiri*. nam et paullo post, cum dicit, *vereor, ne nefas sit dicere*: hoc significat, nefas sit dicere. sic igitur, si dicas, *vereor, ne consolatio ulla possit vera reperiri*: hoc significes, consolatio aliqua possit vera reperiri. quod a Ciceronis mente discrepat. nullam enim ait sibi videri esse consolationem tanti mali, praeter illam, etc. Vide, quae de hoc verbo, *vereor*, diximus in lib. 2. epist. 1.

Quantum in cuiusque animo roboris est atque nervorum] Non enim omnes, qui praeteritam vitam aequè laudabiliter traduxerint, aequè conscientia sustentantur: sed ut quisque firmo aut in-

firmitate

firmitate animo est, ita maiorem aut minorem a conscientia consolationem capit. quo spectat illud in epist. 4. *Quae tamen, si possis eam suscipere, maxima est.*

Satis est] Ergo felicitas non ab iis rebus, quae ab aliis aut a fortuna dantur, sed a nobis est: quae Stoicorum fuit opinio: ut lib. 1. Acad. c. 10. sed Aristoteles Ethic. lib. 1. et Polit. lib. 7. adiunxit externa bona.

Bene beateque vivendum] *Bene vivit*, qui cum virtute vivit: *beate*, cui nihil omnino deest. addidit enim *beate*, quia *recte vivere*, non idem est cum *beate vivere*: quod Ethic. lib. 1. ad Eudemum scripsit Aristoteles. nobilitas enim, proles, opes, divitiae, amici, vires etiam corporis et pulchritudo ad beatitudinem conferunt: sine quibus tamen licet bene vivere: quod virtutis est.

Vereor, ne eum — nefas sit dicere] Interrogandi nota sententiam alii concludendam putant. quibus assentire, si legeretur, *verear*. quomodo autem nunc est, elicitur hoc: fortasse nefas est eum appellare miserum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit. nam ut, *non vereor ne*, negationem significat: ut illud lib. 2. epist. 7. *Non vereor, ne quid timeas, ne quid stulte facias*: idem est, ac si dicas, nihil te timide, nihil stulte facturum confido: et lib. 5. epist. 12. *Non vereor, ne assentimentum quadam aucupari tuam gratiam videar*. ut igitur qui dicit, *non vereor ne*, negat, non affirmat: sic qui ait, *verear ne*, affirmat potius, quam negat. timet enim aliquid futurum, quod nol-

let. quocirca, *verear, ne nefas sit dicere*: valet, opinor esse nefas: vel, fortasse nefas est dicere. Minime igitur necessaria est nota illa interrogantibus visitata. Neque vero, *non vereor*, legendum est: ne sine causa discedamus ab antiquis libris.

Optimorum consiliorum] Cum dixerit, *bene sentire, recteque facere*, videtur hic addere debuisset, *atque factorum*. sed nobiliter posuit, nec alterum, licet omitteret, exclusit.

Miserum] Non enim eo te miserum putes, quia respublica miserrima est; cum te possis optimorum consiliorum conscientia sustentare.

Victoriae praemiis ductos] Ut Pompeianos quosdam: de quibus epist. 6. *Victa est auctoritas mea, non tam a Pompeio (nam is movebatur) quam ab iis, qui duce Pompeio freti, peropportunam et rebus domesticis et cupiditatibus suis illius belli victoriam fore putabant.* hanc rem et Caesar attigit lib. 1. de bell. civ. c. 3. 4.

Officium] Lib. 9. epist. 5. *Securum sum, non spem, sed officium.*

Nec ERN. Qui neque cum id faciebamus, tam eramus amentes] Haec particula, *neque*, hic habet vim quandam, non saepe visitatam: subauditur enim, *non modo*: ut sit: *non modo nunc, sed neque tunc*. Simpliciter lib. 9. epist. 15. *Neque ego aliter accepi.* et lib. 1. ad Attic. epist. 5. *Neque id neglexi.*

Si id evenit] Ut vinceremur.

Ingredientibus nobis in causam] Publicam causam suscipientibus contra Caesarem, senatui dicto non audientem. Eandem sententiam posuit

posuit epist. 12. in eo loco: *Cum re ordarer, te in hoc ipsam bellum esse ingressum, non solum, uti victor, beatus; sed etiam, ut, si ita accidisset, victus, sapiens esses.* Nec dissimiliter in epist. 6. *Sin, propter incertos exitus euentusque bel-
lorum, posse accidere, ut vinceremur, putasses; non debere te ad secundam fortunam bene paratum fuisse, aduersam ferre nullo modo posse.*

Cadere animis] *Cadimus animo, et cadit animus, utrumque enim dicitur: in Laelio c. 7. Nec debilitari animus, aut cadere patitur. Et Tusc. 3. c. 18. Simul animus cum re concidit. Et Phil. 3. c. 9. Allato nuncio de legione quarta, mente concidit.*

Praestandum] *Praestare culpam dicitur, qui culpam vitat. hoc praestare debemus: reliqua ne curemus: non enim praestanda nobis sunt; quia malum in vna culpa situm est.*

Perditis rebus omnibus] *Hoc refertur ad illud: reliquum est, ut te excruciet commune periculum reipublicae. Haec, inquit, ideo dixi, ut intelligas, vel si omnia interierint, virtutem tamen sustentare se ipsam posse. Quanta igitur cuiusque virtus, tantam ille ab ipsa virtute consolationem capit. quod supra dixit, quantum in cuiusque animo roboris est atque nervorum, tanta consolatio est. atque haec virtus, hoc robur, hi nervi sunt eorum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possunt. Quod autem hic, perditis rebus, infra dixit, perditam reipublicam: et in epistola sequenti, reipublicam funditus interire: et ibidem paullo*

post: sin omnino interierint omnia. et epist. 21. euerfis omnibus rebus: et epist. vlt. libri superioris, funditus euerfam fortunam. Contrarium est, saluis rebus, lib. 4. epist. 1.

Quicumque status est futurus] *Infra: Nec dubitare debes, quin aut aliqua republica, sis futurus, qui esse debes; aut perditam, non afflictiore conditione, quam ceteri. Idem in epistola sequenti.*

Atque haec mihi scribenti veniebant in mentem] *Eleganter interdum a particula, atque, sententiam ordimur, ut proxime, atque haec eo pertinet oratio. et epist. 6. atque utebar familiarissime Caesare. et ad Terentiam lib. 14. epist. 4. Atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum.*

Desperationem] *Cum de republica desperabam, si res ad arma deduceretur.*

Consilium improbam] *Pugnari nolebam: cupiebam quamvis iniqua conditione pacem. epist. 4. et 6. et libro superiore epist. vlt.*

Multo ante confirmata per nos metipsos] *Cum Pompeius iterum consul operam dedit, ut Caesari Galliarum administratio in alterum quinquennium prorogaretur. de quo in epist. 6. ipsum Pompeium consulem pugnasse dicit. et lib. 8. ad Attic. epist. 3. de Pompeio: Istum in reipublicam ille aluit, auxit, armauit: ille legibus per vim et contra auspicia ferendis auctor: ille Galliae vltioris adiutor: ille gener: — ille provinciae propagator: ille absentis in omnibus adiutor. Eadem dixit in Phil. 2. c. 10.*

Pilis

Pilis et gladiis, non consiliis, neque auctoritatibus] Sic lib. 4. epist. 7. *Non enim iis rebus praestabamus, quibus valere poteramus, consilio, auctoritate, causa, quae erant in nobis superiora, sed laceratis et viribus, quibus pares non eramus.*

De iure publico disceptari] De ipsa republica contendit. sic lib. 4. epist. 4. *Postquam armis disceptari coeptum est de iure publico.* et epist. 14. eiusdem libri: *Quanto periculo de iure publico disceptaretur armis.*

Neque ego diuinabam] Futura non videbam: sed, ne acciderent, timebam.

Euentu atque exitu] Exitus euentu, non euentus exitu, posterior est. nam ultra euentum exitus est: ultra exitum nihil omnino.

Id futurum, quod euenit] Fore, vt Caesar vinceret.

Exploratius promittere] Non plane promittere, sed exploratius, quam de victoria Pompeii. hoc quidem exploratius, quam illud, promittere, diuinare tamen plane non poteram.

Iis rebus] Consiliis, auctoritatibus, causa. paullo ante. et lib. 4. epist. 7.

Militum robore] Lib. 7. epist. 3. de Pompeio: *Signa, tirone et collectio exercitu, cum legionibus robustissimis contulit.*

Sed tu illum animum] Tale illud Sulpicii lib. 4. epist. 5. *Neque imitare malos medicos, qui in alienis morbis profitentur se tenere medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt.*

Philargyrus] Liberti cognomen, quod in seruitute nomen vnicum

fuerat. valet autem, amator argenti.

Suspensi] Expectatione euentus. pugnabatur enim in Hispania: itaque dixit supra: *Cum omnium bellorum exitus incerti sint, etc.* et epist. 4. *Videmur intelligere non diuturnum bellum.*

In vrbe ea] Athenis. Pro Flacco c. 26. *Adiunt Athenienses, vnde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae, atque in omnes terras distributae putantur.* et lib. 1. de Orat. c. 4. *Athenae omnium doctrinarum inuentrices.* epist. 4.

Nata et alta] In Bruto c. 10. *Videsne, in ea ipsa vrbe, in qua et nata, et alta sit eloquentia, quam ea sero prodierit in lucem? Veteres ab alo et altum, et alitum deducebant. Priscianus, et Diomedes.*

Ratio ac moderatio vitae] Ob doctrinam, religionem, iura, leges. ideo putabantur Athenae in tutela Minervae.

Ser. Sulpicium] Graeciae praepositum a Caesare. epist. 6. *Brutum Galliae praefecit: Sulpicium Graeciae.* vide, quae diximus lib. 4. epist. 12.

Beneuolentia et sapientia] Quae sapienter in re nostra dicuntur ab amicis, creduntur facilius, et magis mouent, quam si dicantur ab alienis. ideo coniunxit cum sapientia beneuolentiam. epist. 4. in extremo.

Auctoritatem et consilium] Omnino cauendum ciuile bellum, cuius initia cernebantur, Sulpicius consul censuit. lib. 4. epist. 3. *Ahsens, inquit, cognoscebam, quae esset tua in hoc pestifero bello*

Aa 5

bello

bello cauendo et praedicendo sententia, et quae sequuntur.

Togati potius potentiam, quam armati victoriam subissemus] Simile illud in epist. 6. *Nolo hunc de me optime meritum, existimare, ea me suasse Pompeio, quibus illo si paruisset, esset hic quidem clarus in toga et princeps: sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet.* Subissemus, inquit, potentiam, ut ut rem grauem, sed victoria tamen leuiorem. ideo in epist. 4. *Cupiebam, quamuis iniqua conditione, pacem.* et in vltima superioris libri: *Quauis tuta conditione pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.*

Quam necesse fuit] Amorem suum declarat, ac studium confirmandi Torquati, cum plura etiam fortasse scripserit, quam necesse fuit. simul illum tacite laudat, quasi virtus eius minus multa desideraret. hoc ipsum dicit in epistola tertia, addita, quam hic omittit, ratione, cur fuerit longior. *Superioribus, ait, litteris, beneuolentia magis adductus, quam quo res ita postularet, fui longior.* Neque enim confirmatione nostra egebat virtus tua. Et epist. 4.

Illis, quae maiora sunt, breuius exponam] Rerum diuersarum connexio, in qua laborare multos video, vulgare non requirit ingenium. hic Cicero a consolatione doloris ad promissionem auxilii percommode transit. nam, cum dixisset, *haec longiora*, subiunxit, *illa maiora.* sic epist. 3. *Sed haec consolatio levis est: illa grauior.* Et ad Appium lib. 3. epist. 10. *Atque*

haec domestica. Quid illa tandem popularia? Et ad Cassium, lib. 12. epist. 2. *Sed haec tolerabilia: illud non ferendum, quod est, qui vestro anno filium suum consulem futurum putet.* Et Phil. 2. c. 11. cum obliuienti Antonio, civile bellum eius culpa natum esse, copiose respondisset, transitum ita quaesuit ad aliam rem, vix ut interrupta narratio videatur, hoc modo: *Sed haec vetera: illud vero recens, Caesarem meo consilio interfectum.* Huius generis innumerabilia fere occurrunt: sed fastidium vitemus, et haec sibi quisque, quod nos olim facere conuevimus, notet in legendo.

Neminem] Quia perierat Cn. Pompeius, et P. Lentulus, quorum opera restitutus ab exilio fuerat.

Quibus tantum debebam, quantum tu intelligis] Plus scilicet, quam tibi: sed, cum eos belli casus eripuerit, nemo, cui plus quam tibi debeam, superest. epist. 4. *Beneuolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar.*

Belli casus eripuit] Mors eripuit, de iisdem dixit, lib. 4. epist. 13.

Qui sum] Epist. 10. *Eodem tempore, eademque de causa, nostrum uterque cecidit.* et epist. 13. *Eadem causa opes meas fregit, quae tuam salutem in discrimen adduxit.* et in vltima huius libri: *Quid possim, nescio, vel potius me parum posse sentio.*

Studium, certe velim existimes ERN. Studium certe] Si consilio et opera prodesse tibi non multum potero, studio certe numquam deero.

EPISTO-